Sterngel Zacharias: Quaestio de natura legis.

QVÆSTIO
DE
NATVRA LEGIS.

Ex 1. 2. D. Th. q. 91.

A

M. ZACHARIA STERNGEL S. Th. Professore, ad S. Floriani Canon: *Pridie Kal. Iulij Anno D. M. DC. XXVII. publicè in Academia Crac. disputata, In Lectorio DD. Theologorum. Hora XI.*

Præsidente

Admodum Reuerendo Patre,

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO

S. Th. Doctore, & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ, S. Floriani Præposito, ac Th. Facultatis Decano, Præceptore obseruandissimo.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cæsarij 1627.

IN STEMMA.



Εὐκόσμεῖ τὸ βέλος τριμερὲς τῆς δόξα γὲμίτσαι,
Καὶ δηλοῖ σοφίας τῆς ἀρετῆς τὸ κλέος.

Reuerendissimo in Christo Patri,

D. LAVRENTIO STERNGEL

Decano Infulato Ecclesiæ Collegiatæ Zamoscien. &c.

M. Zacharias. Frater obseruantissimus S. P.



Ngressus Curriculum Theologicum nunc primum gradum sisto, & quid publicè sub viuo præceptore, quid priuatim sub mortuis Doctoribus egerim, en exhibeo. Et quoniam, de Lege disputare constitui; an sine Lege faciam? Quæ autem æquior lex, quàm vt palæstræ meæ te auspicem ac patronum deligam? Ita enim erit vt gratiam à me pro tuis in me beneficiis collatis habeas: & affectum internum erumpentem palàm cum omni gratitudine agnoscas. Non grauatim hoc facio: mensarij libenter reddunt deposita pignora, quæ in hoc ipsum acceperint vt restituant: sic ego quæ à te accepi studiosè ad te refero. Accepi autem omnia, & possum illud Carneadis vsurpare, quod de Chrysippo dicebat, nisi tu esses ego non fuissem. Fateor te germanum naturâ esse meum, at officiis innumeris patrem: cum namq; Parens noster communis, vir humanissimus, è vita excessisset, ac me infantem reliquisset, tu primam ætatem meam sinuo tuo complexus es; Et quemadmodum M. Antoninus Philosophus, siue priuatus, siue in Magistratu fecit, ita nullum solem occumbere passus es, quo aliquid à te præclari in me non esset profectum. Circumduxisti tecum per ea loca, in quibus floruisti laude ingenij singulari:

 vidit

vidit me Tinecium, tenuit nouennem Cracouia, aluit Zamoscium aliquot quinq; annum cum incredibili tua solicitudine. Ex ephebis excedentem reddidisti Cracouia, & quasi tesseram amoris & obseruantia in Academiam ob ornamenta ab ea accepta apud eam deposuisti. Magno affectu hanc tui animi significationem accepit, illudq; Ascraei

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

A te seruatum, fatetur, non modo hoc, sed aliis etiam persuasa multis argumentis, ex quibus vnum quod magni æstimat præterire non possum. Promouisti eam apud summum illum Heroem, Patrem Patriæ, Magnum Regni Cancellarium, & Ducem Exercituum Generalem, à quo accitus eras cum aliis duobus Doctissimis Professoribus, ad nouum gymnasium deducendum: & nunc eam commendas Illustriss: Palatino Kiiouien. exæquanti, incredibili cum lætitia totius orbis, Patris sui, viri amplissimi, virtutes, ac in rebus gerendis consiliisq; dandis peritiam, & dexteritatem: apud quem ita gratia vales, vt te ad Ecclesiam suam Colleg. Decanatu illustri auctum esse voluerit. Cum verò propensionem tuam in Theologiam ac Iurisprudentiam quibus magna animi tui voluptate addictus es expendo; Legem quæ communis est Theologo, & Iurisconsulto ad te defero & trado: quam tu prompta & serena mente accipe, maiora à me Deo dante habiturus. Quem licet indignus Sacerdos submisse & obnixe rogo, vt te diu integrum & incolumem pro laude sua, honore Ecclesiæ, incremento literarum, ac patrocinio meo, seruare velit.

Crac. è Col. Maiore pridie Kal. Iulij,

Anno Domini, 1627.



QVÆSTIO
De Natura Legis.

V. Legis definitio à S. Doctore proposita, nimirum quia est aliquid rationis, ordinatum in bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, & promulgatum, ita sit certa, vt vna particula eius sublata, Lex non posit esse; nec ne?

CONCLVSIO I.
Lex est aliquid rationis.

COROLLARIA.

1. *Lex si vim vocis spectemus, bene à legendo, meliùs à ligando, optimè ab eligendo, trahit originem.*
2. *Aliter IC. aliter Theologus de Lege disputat, IC. enim vt est aliquid rationis, & ordinat in communem pacem Reip., Theologus verò vt ordinat ad æternam pacem, quæ consistit in visione Dei.*
3. *Non sunt audiendi, qui dicunt nullam Legem esse, & Christianum tantùmmodò teneri, ad credendum; Cætera libera esse & indifferentia.*
4. *Non adstipulandum Almayno, qui Legem ad volunta-*

 lunta-

luntatem humanam refert: nec Durando qui ad diuinam tantùm.

5. *Lex in ratione Practicâ, non speculatiuâ consistit.*

CONCLVSIO II.

Lex semper debet ordinari in bonum commune.

COROLLARIA,

1. *Asserere Principes habere dominium, in bonis subditorum suorum, ita vt possint ea conuertere in priuatum commodum, est dogma pestiferum.*
2. *Hoc discriminis est inter Tyrannũ, & Principem: quia ille priuatum: hic verò totius Reip. bonum spectat.*
3. *Leges de vectigalibus, etiamsi priuatam Principis vtilitatem spectent, veræ tamen sunt leges, nam suppeditant necessaria, vt tueatur bonum commune.*
4. *Lex naturalis, & aliæ leges de priuato commodo seruando, Leges sunt: nam bonum commune, dependet ex priuatis bonis Ciuium.*
5. *Lex debet esse publica.*

CONCLVSIO III.

Lex ab eo debet fieri qui curam habet communitatis.

COROLLARIA.

1. Prudentis vt est munus dirigere, ita & leges ferre.
2. Parentum præcepta obligant.
3. Et Patresfamiliâs, qui sunt rectores imperfectæ communitatis, habent authoritatem condendi Leges: quibus parendum est iis, qui sunt ex familia.
4. Benè à multitudine, & ab vno, publicam authoritatem habente, leges feruntur.
5. Christus D. & Summus Pontifex, qui est ipsius Vicarius, possunt condere Leges.

CONCLVSIO IV.

Promulgatio, est necessaria ad essentiam Legis.

COROLLARIA.

1. Promulgatio debet esse sufficiens, voluntate superioris sufficienter expressa.
2. Non est sufficiens promulgatio, vt in curia, aut ciuitate Regiæ promulgetur.
3. Secus de Promulgatione Legis Pontificiæ iudicandũ, promulgatur enim, si Romæ publicè proponatur.
4. Promulgatio, non infert necessitatem, perducendi ad singulorum notitiam.
5. Promulgata lex esse censetur sufficienter, quia moraliter ad omnium notitiam peruenit.

CON-

Conclvsio V.

Definitionis traditæ à S. D. aliqua particula sublata, Lex non est.

COROLLARIA.

1. Definitio legis, habet se vt totum.

2. In moralibus, aliqua habent rationem materiæ, aliqua verò formæ.

3. Legis natura, siue eam Theologicè spectemus, habet omnia, quæ legis ratio in communi habet.

4. Primæ tres particulæ in Definitione positæ, habent rationem materiæ.

5. Promulgatio, non est præcipientis & mandantis tantùm intimatio.

Sub auspiciis Excellentissimi ac Magnifici Domini CHRISTOPHORI NAYMANOWIC Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & Professoris, Vniuersitatis Cracouien. Rectoris Vigilantissimi.



